MVNDI
TRIBULATIO
EIVSQVE REMEDIA
SCRIPTVRIS, PATRVM TESTIMONIIS
EXEMPLISQUE CURIOSE ILLUSTRATA.

TOMVS PRIMVS,
In quo doctè, utiliter, ac problematicè inquiritur, An, quid, & unde TRIBULATIO.

CUI

INDEX EVANGELICVS
Singulis Anni Dominicis, Sanctorum Feſtis, ac Quadrageſimæ feriis luculentiſſimam prabet dicendi materiam.

Auctore Perilluſtri ac Reverendiſſimo Domino

D. PAVLO ARESIO
Dertonenſium Epiſcopo

Nunc primùm per R. P. PETRUM WEMMERS ſtrictioris Obſervantiæ Carmelitam ex fonte translatus, ſummariis, quadruplicique Indice locupletatus.

EDITIO SECUNDA PRODIIT JAM IN GERMANIA.

BIBLIOTECA
SALAMANCA

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM BVSÆVM Bibliopolam
Sub Monocerote M.DC.LXIII.

REVERENDO ADMODUM AC AMPLISSIMO
Domino,

D. IOANNI CHRYSOSTOMO VAN DER STERREN

ECCLESIÆ S. MICHAELIS ANTVERPIÆ
Candidi Præmonſtratenſis Ordinis

ABBATI,

ET

VISITATORI AC VICARIO GENERALI
DIGNISSIMO.

REgius Propheta David, Admodum Reverende, & Ampliſſime Domine, inter præclaras Spiritu Sancto dictante prolatas ſententias, hanc non minori admiratione, quàm myſterio plenam protulit, dicens: *In die tribulationis meæ Deum exquiſivi manibus meis nocte contra eum, & non ſum deceptus.* Quæ, ſi litteraliter intelligatur, contradictionem implicare videbitur: ſi enim de die exquiſierit, quomodo de nocte; cùm ubi nox ſit, dies eſſe non poſſit. Rectè tamen dixiſſe comperiemus, ſi ſenſum myſticum attendamus. *In die,* inquit, *tribulationis*; ecce noctem diei junctam. Tanta ſiquidem afflictionis mœſtitia oculos ejus offuſcaverat, ut dies iſta nox ei videretur: lumine igitur intellectus Deum cognoſcere non valens, manus ad illum extendit, ac ſubitò reperit: unde ſubdit: *Et non ſum deceptus.* Pari modo mihi ac-

DISCVRSVS PRIMVS.

De tribulatione frequenter ſermonem inſtituere, non tædium, ſed utilitatem adfert, cùm ſit omnibus communis, & neceſſaria.

SUMMARIUM DISCURSUS.

Medicina corporalis, & ſpiritualis, laudem exhibet: 4. primis n.

Duabus noſtris infirmitatibus remedia aſſignans, earum indagationem non moleſtam ſed utiliſſimam eſſe, docet num 5, 6.

Quomodo os noſtrum claudendum, & aperiendum ut congruè loquamur, num. 7, 8, 9.

Concionator de tribulatione diſſerens optimè ſe populo accommodat; à num. 10 *uſque ad* 14.

Qualiter potiſſimùm aures cuſtodiendæ; 15, 16, 17.

Utilitas tribulationis maxima; num. 18, 19.

De tribulatione diſcurrere, non tædium ſed delectationem adfert; à num. 20, *uſque ad* 29.

Honorificum inſuper, & glorioſum eſt, ideo diabolus impedire nititur. num. 30, 31, 32.

Eccl. 38. 4. *Deus medicinæ auctor.*

ALTISSIMUS *creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa*: Summa majeſtas, cui omnis altitudo humilis, omnis dignitas vilis, omnis magnitudo parva, omnis ſapientia ignorantia, omnis pulchritudo deformis, omnis potentia debilis, non dedignatur primum ſe exhibere medicinæ auctorem, & inventorem; teſte Sapiente; vir autem prudens qui bonum à malo diſcernere novit, & juſtum uniuſcujuſq; rei ſtatuere pretium, haud parvi illam æſtimat. *A cælo, & à terra honorata.* A cælo ergò & à terra honorem recipit medicina; à cælo, cùm inde originem trahat, & rex cœlorũ auctor ejus reperiatur; à terra quoque, cùm homo prudẽs, qui inter res creatas digniſſimus, illã æſtimet. Sũmis ergo laudibus hæc medicinæ ſcientia efferẽda: non tantùm propter dignitatem ſubjecti, quod homo eſt, quàm propter excellentiam finis, quæ eſt ſanitas, & vita. Non tantum propter dignitatem illorum qui illam exercuerunt, ut fuerunt præclariſſimi viri, Hippocrates, Galenus, Avicenna, aliique; quantum quia reges eam quoque amplexati ſunt, ut Mithridates, Dionyſius, Triſmegiſtus. *A præcipuis hominibus, & diis exercitata.* Non tantum quia fabuloſi dii hanc hominibus exhibuerunt, ut Apollo, Æſculapius, Mercurius; quantum quia cæleſtes ſpiritus, eandem hominibus applicuerunt, quorum unus Raphaël vocatur medicina Dei. Non tantum propter ſummam auctoritatem, quâ regibus quoque, & principibus imperat, qui potiori curâ Medicis ſuis obedire ſtudent, quàm ut ſibi à ſubditis obediatur; quantum propter mirabiles ejus effectus, quòd ſola audeat cum terribiliſſima morte in arenam deſcendere, ipſamque oppugnando ſæpiſſimè in fugam convertere, ac prædam injuſtam quaſi faucibus ejus ereptam, ab innumeris morborum periculis, in libertatem aſſerere; Nunc impediendo ne morbi approximent, nunc illos à corporibus expellendo, ac eorum loco fideles ſocios, lætitiam, vigorem, ac fortitudinem ſubſtituendo; qui animum poſſeſſoris ad bona ſingula perfruenda, & commoditates amplexandas perficere ſolent.

Cur Deus particularis auctor medicinæ?

2. Non tantum dico propter has plurimaſque laudes, quas ipſi tribuere poſſemus, occaſionem gloriandi habet medicina; quantum quòd primum ſui auctorem agnoſcat Deum, & hominem prudentem ſui pretii æſtimatorem. Dicet fortè quiſpiam, quid hoc tanti faciendum? quid in univerſo exiſtit orbe, quod Deum non agnoſcat auctorem? Non ſolum cælos creavit, ſed & terram fundavit: Non ſtellas ſolum, ſed & arbores formavit: Non Angelis tantum, ſed formicis, & culicibus vitam, & eſſe tribuit: quid mirum ergò ſi auctor medicinæ dicatur? Quomodo hæc laus ipſi propria, ſi reliquis communis eſt? Reſpondeo nulli dubium

DE
TRIBULATIONE
EIVSQVE NATVRA, CAVSIS ET EFFECTIBVS, TOMVS SECVNDVS,

Ad quem finem tribulatio noſtra dirigenda plurimis curioſis diſcurſibus utiliſſimiſque documentis ad concionatorum vota illuſtratus;

ET

INDICE EVANGELICO

In omnes Anni Dominicas, Sanctorum Feſta, ac Quadrageſimæ ferias copioſiſſimè ditatus.

Auctore Perilluſtri ac Reverendiſſimo Domino

D. PAVLO ARESIO

Dertonenſium Epiſcopo

Nunc primùm per R. P. PETRUM WEMMERS ſtrictioris Obſervantiæ Carmelitam ex fonte translatus, ſummariis, Indicibuſque locupletatus.

EDITIO SECUNDA PRODIIT JAM IN GERMANIA.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM BVSÆVM Bibliopolam
Sub Monocerote M.DC.LXIII.

INDEX EVANGELICVS AD CONCIONES FORMANDAS APTISSIMVS.

In quo ſingula his duobus Tomis contenta omnibus Anni Dominicis, Sanctorum Feſtis, & Quadrageſimæ feriis doctè, copioſè, & dilucidè applicantur.

T. Tomum. D. Diſcurſum. N. Numerum paragraphicum. P. Paginam indicat.

Dominica I. Adventus.

SAlvator noſter cuncta humano more nobis exhibere cupiens, ut faciliùs ea capiamus; exponit, quòd ſicut quandoque homines ſeipſos, & domus parietes nigris veſtibus tegunt, ut dolorem internum exteriùs demonſtrent; ſic ſigna cæleſtia, ut luctum & timorem quem homines ex mundi diſſolutione, & univerſali judicio concipient exhibeant, ſe & totum cælum tenebris involvent. De timore judicii, vide Tomo 2. Diſcurſu 32. Num 24. & ſeq. Pagina 64. & diſc. 33. num. 35 pag. 78. diſc. 38 num. 34. pag. 147. Homo etiam eſt parvus mundus, tom. 1 diſc. 3 nu. 1. p. 24. Deus quoque doloris ſigna in corde ſuo percipit, cùm illibenter, & coactè peccatores caſtigare ſoleat, tom. 1. d. 24. n 13. p 81. tom. 2. diſc. 30. num. 9. & ſeq. pag. 30. In hodierno Evangelio Chriſtus nos veram & ſpiritualem Aſtrologiam docet, quomodo ex ſignis cæleſtibus futura ſint colligenda; unde nos hanc doctrinam imitando accuratè inveſtigare poſſumus, quid hæc ſigna nobis prædicent, tom 1. diſc. 22. per totum, pag. 287.

Erunt ſigna: ſolet Deus primò indicare antequam puniat, tom. 2. d 30 n 22 p. 34.

In ſole: Quid ſignificet obſcurari ſolem, tom. 1 d. 41. n. 3. p 178.

Chriſtus in ſole figuratus, tom. 1. d 9 n 34 pag. 115.

Et Luna. Symbolum Eccleſiæ Sponſæ Chriſti eſt Luna: cùm ab eo, ut illa à Sole illuſtrari debeat, tom. 2 d 31 n. 17. p 46.

Eadem ſigna ante judicium & finem mundi apparebunt, quæ in paſſione apparuerunt: & curita ? tom. 1. diſc. 9 num. 11. pag. 106.

Areſcentibus hominibus præ timore. Homo timore undique exagitabitur, ſicut Attilius in vaſe clavis perforato, tom. 1. d. 26. nu. 43. pag. 352.

Mala conſcientia ubique cruciabit, tom. 1. d. 8 nu. 24. p. 97.